



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. X. Homines ante obitum felices dici posse.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Ergo pueri, in quibus ejusmodi diligentia esse nequit, non poterunt recte appellari felices?

Non sanè: quia opus est ei, qui felix esse cupit, & virtute consummata, & vita perfecta: quorum in puero neutrum esse per ætatem licet.

CAP. X.

Homines ante obitum felices dici posse.

Si hominum studio comparatur felicitas, cur igitur Solon statuit neminem ante obitum dici posse felicem?

Solon propter vitæ incertos casus neminè in his terris consequi laudem felicitatis arbitratur. Similiter Ovidius ait:

-- *Ultima semper*

Expectanda dies homini: diciq; beatus

Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Verùm hæc sententia minus probatur.

Quomodo ergo ostendis ante mortem homines nominari posse beatos?

Qui secundum virtutes operatur, beatus dicitur in hac vita, & non post mortem operatur secundum virtutes: Igitur in vita quoque beati recte appellamur, & non post mortem.

Quinam itaque recte dicuntur beati?

Qui in exercendis virtutibus ad extremum vite spiritum perseverant: id quod etiam in breviori ætatis tempore fieri potest. *Vide Cic. in Catone majore.*

*Anne res etiam posterorum ad defunctorum be-
titudinem aliquid faciunt?*

Ita opinatur Aristoteles.

Qua ratione hoc arguit?

*Vide Cic.
ibid.*

A contrario. Nempe quod ab officio amici alienum est, felici non est tribuendum: Atqui dicere, Sua nihil referre, quid posteris accedat, ab officio amici alienum est: Nec igitur felici convenit: & per consequens, res posterorum ad felicem pertinent.

LIBER II.

Argumentum hujus libri.

Cum in primo libro docuisset Aristot. summum bonum seu finem hominis esse actionem virtutis: In secundo deinceps investigat quid sit virtus, quae sint fontes, unde oriatur, & quot sint ejus differentiae.

CAP. I.

De virtute.

Quomodo definitur virtus?

*Habitua-
lis animi
actio seu
crebro cō-
firmata.*

Virtus est habitus rectae rationi consentaneus: Habitus nimirum, ut Aristotelis verba sonant, qui regitur recta notitia, ut mediocritatem in actionibus efficiat.

Quare definitur habitus?

Quia in virtutis studio non solum requiritur, ut sciens ac volens, sive ultro, sed etiam ut *καθ' ἑξιν*, à firmo ac stabili animo semper secundum virtutes operetur.

Qualis